

vas promptum aquæ lustralis, convalescit. Maga compehensa in quaestione dixit, ova sic fuisse venientia, ut gustantibus interitum, extuberationem languentibus essent paritura, Delr. lib. VI. disquisit. cap. II. sect. III. quæst. III. Anno 1589. mulier quadam quæ chirographo, quod proprio sanguine conscripserat, se dæmoni devoverat, cum respicienti illud dæmon sæpius ostendebat, freta divini agni præsidio, cujus imagine pectus munierat, cum reddi chirographum sibi jussisset, tandem vidit illud in cinerem et favillam conversum ad pedes sibi abjici. Idem ibidem ubi etiam pluribus videre exemplis est, nocuisse dæmonem hominibus, cum forte agnum Dei seposuere : nocere vero non potuisse gerentibus.

Quæ cum ita sint, superest ut his armis et flabellis a Christo et Ecclesia approbatis et oblatiis sedulo pieque utamur, inter tot muscarum infernalium examina. Nostra culpa erit, si tot tamque facilia remedia ad manum habentes, interim tamen negligentes, adversi aliquid patiamur. Laborat certe dæmon, ut his armis non utamur, quibus novit se superari : sicuti olim Philisthæi sedulo caverunt, ne esset faber ferrarius in terra Israel, qui posset eis fabricare arma, gladium aut lanceam : *Cumque esset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi*, I. Reg. XIII. Ad eundem modum, in fœdere, quod expulsis regibus populo Romano dedit Persenna, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur, ait Plinius, l. XXXIV. cap. XIV. Hoc idem fecit hæreticis nostris humani generis hostis, cum benedictiones apud ipsos et arma hæc spiritualia, fabros etiam eorum, sacerdotes, exterminavit, ut eos tanto liberius et securius exagitare queat. Primum etiam, quod a confœderatis sibi requirit dæmon, est, ut his armis se discingant, probe sciens, quid sibi ab his immineat. At non committamus nos, ut tale fœdus ineamus. Multa minus vero acceptemus ab ipso dæmone : quæ offert arma straminea ad imitationem ecclesiasticorum ab eo conficta, uti sunt schedulæ magicæ, ligaturæ, carmina, imagines. Quomodo enim credas efficaciam esse arma, quæ dæmon tibi offert contra seipsum? Num tu gladium mihi ferreum et acutum dares, insidiaturo tibi, et non potius coriaceum, si tamen aliquem dare velles? Igitur a matre nostra Ecclesia arma capiamus, non ab hoste nostro.

Denique, videndum, ne male his utamur, ad perniciem nostram. Cum enim nequit dæmon ea nobis eripere, laborat, ut perperam arrepta et tractata contra nos ipsos vertamus, veluti si quis cuspidem gladii in se versa perfodere alium

capulo vellet; hic enim sibi ipsi potius gladium infingeret. Quod fit, cum piis verbis aut rebus benedictis aliquid superstitiosum admiscetur, verbi gratia, si fideret quis certæ figuræ vel coloris, tempori, numero, scripturæ. Item si effectus certo et infallibiliter expectaretur, etc. Non est iste digitus Dei, sed diaboli. Nos ergo, auditores, in virtute et digito Dei potius confidamus, cujus præsidio pellemus tartareas illas muscas, earumque principem Beelzebub, etc.

CONCIO V.

DEMONIS VIGILANTIA, QUÆ CUSTODIT SERVOS SUOS, PECCATORES.

I. In peccatis implicat. — II. Non infestat suos. — III. Blanditur illis. — IV. Negotiis sæcularibus occupat. — V. Volentes converti impedit. — VI. Affligit discessuros. — VII. Conversis insultat. — VIII. Liberatis rursus insidiatur.

THEMA.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Lucæ XI.

Refertur in collectore speculi, interrogatum aliquando dæmonem in obsessio a viro quodam sancto, quod esset illi nomen? Respondit dæmon : « Nos sumus tres, qui habitamus in isto homine, et ego vocor Claudens cor, estque officium meum, cor peccatoris claudere, ne eliciat contritionem. Si vero contritionem forte, me frustra reluctante, elicuerit, tunc habeo socium meum, qui vocatur Claudens os, qui ad hoc laborat, ut obserat illi os, ne peccata confiteatur. Quod si istum vicerit, et confessionem fecerit, habeo socium alterum, qui vocatur Claudens bursam, qui magnis conatibus agit, ut a restitutione honorum alienorum, adeoque a satisfactione retrahat confessum. » Ni fallor, dæmones isti affines valde erant dæmonio hodierno, quod secundum Lucam, hominem mutum, secundum vero Matthæum etiam cæcum et surdum quoque fecit. Cæcum, ne consideret peccatorum enormitatem : mutum, ne confiteatur : surdum, ne audiat confessarii monita ad faciendam restitutionem, deserenda odia, pellices, etc. Et quid sibi volunt ista dæmonum portenta? Nihil profecto aliud, quam incredibilem vigilantiam, quam adhibent ad retinendos in potestate sua peccatores. Et hoc est, quod ait Dominus in hodierno evangelio : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Mu-

nit enim se instar tyranni, postquam occupavit aliquod castellum, in aris, vallis, fossis, etc. Quod cum hoc præsertim tempore faciat, quo sibi timet, seque a plurimis impugnandum, adeoque ejiciendum novit : idcirco Ecclesia modo hoc evangelium legit, ut in eo dæmonis malitiam, artes et technas nobis detegat, nosque accendat ad eum de cordibus nostris profligandum. Pugnare in hodierno evangelio pro animabus nostris duo capitanei, Christus et diabolus. Superavit dæmonem Christus et ejecit e suo castello : quod ipsum in peccatoribus omnibus facile efficiet, si tamen eos sibi consentientes et cooperantes habeat. Quare ut facilius dæmonem profligemus, inspiciamus, qua vigilantia mancipia sua custodiat.

I. Postquam dæmon aliquem redegit in suam potestatem per peccati mortalis admissionem, primo adlaborat, ut eum in peccato implicet et quodammodo vinciat, ne facile pedem referat. Dicit enim Oseas, c. IV. *Ligavit eum spiritus* (id est, diabolus) *in alis suis*. Quomodo nimirum alligavit rex Babylon Manassen regem, qui in oratione sua ait : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum*. Sic ligavit aliquando Davidem, unde lamentatur, Psalm. CXVIII. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Dominus etiam Lucæ XIII. ait mulierem inclinatam, quam curaverat, alligatam fuisse a diabolo decem et octo annis. Alligatur vero et implicatur peccator, dum, dæmone instigante, peccata peccatis addit, donec in profundum veniens contemnat. Urget eum dæmon, ut admissum peccatum sæpius repetat, quousque paulatim habitum contrahat, a quo postmodum difficile se expedire potest. Est enim habitus peccati veluti funis crassus, qui a multis funiculis subtilioribus componitur; et licet singuli illi funiculi facile rumpi possint, conjuncti tamen rumpi, nisi ingenti vi, non possunt uti in se agnovit et lamentatur Augustinus, l. VIII. conf. c. XV. Cui facile assentietur, quicumque peccati alicujus habitum contraxit, quam ferreum sit vinculum, quo seipsum alligavit! Deinde, plura alia media adhibet diabolus ut peccatorem implicet; alios enim pravæ societati, connectit, quæ ipsum fortiter retinet, aliis alia vincula addit, ut cum apostatæ uxorem aut pellicem tradit, vel amplos redditus, magnam dignitatem, quibus illaqueatus retineatur in peccati ergastulo, aliis alios obices ponit, veluti pudorem, timorem, etc. Et ita sicut aranea, quando muscam reti suo adhesisse videt, mox eam sæpius gyratam multis laqueis induit, et ita implicatam in reti relinquit, veluti certam prædam suo tempore devorandam, sic ad unguem facit diabolus.

Sed non idcirco abjiciendus animus; nam uti vincula sua rupit Augustinus, ita rumpere et tu potes, cum Dei gratia : quomodo Samson funes, quibus ligabatur, velut araneorum telas rupit. Confide fortiter in Deo, et ejus præsidii spe munus fac quod in te est : aderit tibi Deus. Quoties legimus et vidimus ex malis factos bonos?

II. Nihil nocet suis, postquam eos in rete suam traxit nec infestat eos tentationibus, sed *in pace sunt ea, quæ possidet*, ait Dominus. Causa est, primo, quia jam illos obtemperantes et in quietâ possessione habet; sic canis non allatrat nec mordet domesticos, sed extraneos. In hujus rei typum Holofernes non inferebat bellum obtemperantibus sibi, sed rebellibus tantum. Venatores non cicuribus bestiis, bobus, ovibus, capris insidiantur, sed silvestribus et efferis, cervis, apris, damis, rupicarpis, etc. Ita etiam dæmon agit cum hominibus.

Secundo, quia jam spoliavit illos, nec habet amplius, quod adimat eis. Unde Chrysostom. hom. IV. de verbis Isaiaë : Vidi Dominum, ait : « Quomodo fit in navigiis, qui vacuum habent navem, non metuunt piratarum insultum; non enim veniunt, ut conterant navem nihil vehementem. Cæterum ii, qui navem habent onustam, metuunt piratas. Nam pirata illuc properat, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi; sic et diabolus non facile persequitur peccatorem, sed justum potius, ubi multæ sunt opes. » Sic ille.

Bonos et perfectos acius infestat et tentat. Sic in hodierno evangelio domum mundatam et ornatam occupare laborat. Ita beatum Job tentavit. Quo nomine sibi tales gratulari debent : metuere vero illi, quibus pax est a dæmone.

III. Blanditur præterea illis, ita ut in utramque aurem secure dormiant in peccatis. Si enim conscientia obmurmurare incipiat, ipse eam acquietat opponendo, juventuti aliquid concedendum esse, longe adhuc abesse mortem, multos esse socios, magnam esse Dei misericordiam, etc. Multa etiam fictitia gaudia eis proponit, nunquam obtinenda, et sæpe montes aureos pollicetur. Ita Sichem, diaboli typus, postquam rapuit et oppressit Dinam, *tristem delinivit blanditiis*, Genes. XXXIV. sic servi Pharaonis benefaciebant Abrahamo, dum abstulisset illi uxorem Pharaon, Genes. XII. hunc in modum decepit dæmon Radbodum Frisiae ducem, ostensione pulcherrimæ mansionis ipsi destinatae, ut fingebat, atque ita jam conversioni proximum retraxit, Vinc. in spec. hist. lib. XXIII. cap. XLVI. Piscator captum hamo piscem, non statim extrahit, ne ille setam abrumpat, sed laxat et sinit unco bene indui hamoque inescari, quo securius capiatur : sic

piscatur daemon. babilonii jubeant Israelitas captivos canere suis organis, quo obliviscerentur patriæ suæ, Psalm. CXXXVI. ita vult diabolus variis blanditiis oblivionem prioris status, in quo bene et pie vixeramus, adeoque cœli, nobis ingerere: sed si sapis, cum Israelitis responde: *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivione detur dextera mea, etc.* Ut enim mansio illa Radbodo ostensa subito evanuit, ita evanescet mundi splendor et gloria.

Deinde, persuadet eis longe abesse mortem, plurimum superesse vitæ, sat temporis fore ad penitendum. Hinc de illo ad Jobum dixit Deus, cap. XLI. *Oculi ejus ut palpebræ diluculi.* Oculi ejus consilia, et cogitationes ejus sunt, quas ingerit mancipiis suis: eæ autem non crepusculo vespertino, sed diluculo matutino similes sunt, quia nunquam ingerit eis metum appropinquantis noctis seu mortis: sed promittit semper longum adhuc tempus, quasi primum incipiant vivere, adeoque adhuc aurora sit, multumque supersit vitæ: atque ita non difficile retinet eos in peccatis.

IV. Negotiis sæcularibus et mundanis tumultibus obtundit sensus eorum et intelligentiam. Sic auceps accipitri tegit oculos, ne avolet. Ita Philisthæi eruerunt Samsoni oculos et cæcatum molere fecerunt; qui etiam in eo statu ludebat ante eos, Judic. XVI. pari ratione daemon eruit peccatori oculos, id est omnem adhibet operam, ut novissima non consideret, peccatorum suorum fœditatem non advertat, præsentibus tantum intendat, de futuris nihil cogitet, etc. Sedecias rex excæcatur a rege Babylonis in Reblatha, quæ exponitur *multa hæc*: sic daemon excæcat eos, qui contempto uno, per multa mundi negotia vagantur, ut scribit P. Damianus, lib. II. ad Hildebr. Obtundit etiam auditum, ut conciones non audiat, nec remorsum conscientiæ. Quemadmodum enim sacrificuli Moloch, dum idolo immolarentur et cremarentur pueri, pulsabant interim tympanum ne puerorum ardentium et morientium ejulatus audiretur a parentibus, unde locus dicebatur tophet, a toph, quod est tympanum: sic daemon obtundit suis aures sæcularibus negotiis, ne attendant ad Dei minas, et clamores conscientiæ plangentis suam virtutem et perditionem. Aufert et loquelam, præsertim in confessione, ne scelera sua prodant. In vita S. Francisci legimus fratrem fuisse, qui apparebat eximie sanctitatis, et tam stricte servabat silentium, ut non verbis sed nuntibus tantum confiteretur. Sed Franciscus illuc veniens et audiens commendari ab omnibus fratrem illum: *Sinite, fratres*, inquit, *nec mihi diabolica figmenta in eo laudate: moneatur semel aut*

bis in hebdomada confiteri; quod si non fecerit, diabolica tentatio est et deceptio fraudulenta. Monentibus ergo de hoc eum fratribus, digitum ori suo imposuit et caput concutiens renuit se vocalem confessionem facturum. Et quid actum? Non post multos dies rediit ad vomitum et flagitiosam repetens vitam, malus male periit.

Viderit ergo quisque ne sibi fucum fieri sensusque obtundi patiatur a diabolo.

V. Volentibus converti proponit et exaggerat peccatorum gravitatem, conversionis difficultatem, penitentiae austeritatem, peccatorum degustatorum dulcedinem, pudorem, etc. Quemadmodum enim tibicines plangebant filiam Jairi et dicebant jam esse mortuam, cum tamen Dominus diceret: *Recedite, non est mortua puella, sed dormit*, sic daemones quandoque cum aliter non possunt, desperationis injectione conantur animam a conversione retrahere, et ita canunt requiem super illa, velut conelamata et desperata. Quid, inquit, vellesne hoc confiteri? Hoc vel illud nunquam iterare? Cum tanta tua ignominia et periculo a cæpto resilire? Actum est. Ita Sanctus Augustinus, lib. VIII. confess. cap. XI. ait nugas nugarum et vanitates vanitatum, sibi conversionem meditantem obstrepuisse: *Dimittisne nos? Et a momento isto non crimus tecum ultra in æternum? Et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in æternum?* Ita tenuit Judam; cui peccatum primo suadens, extenuavit: postea turpitudinem ejus exaggeravit, et ita eum in desperationem impulit.

Sed tu daemonibus responde: *Recedite, non est mortua anima mea, sed dormit Deo, cujus gratia excitari potest.*

Deinde, proponit illis alias illecebras, et urget dilationem conversionis de die in diem, quemadmodum Levitam illam, Judic. XIX. Socer ejus, cum abituro proposuit cibum, deinde dixit: *Quæso te, ut hodie hic maneat pariterque lateamus*, idemque altero die fecit, donec gener serius dimissus, vespere devenit ad pessimos Gabenses, qui uxorem ejus constuprarunt ad necem usque. Dum tibi moras necit daemon, insidias struit.

VI. Affligit discessuros, quemadmodum Pharaon Israelitas laboribus et verberibus atterebat. Amphoræ gravitas non sentitur, nisi postquam extrahitur ex aqua; sic peccati gravitas, non nisi initio conversionis. Quam enim difficile confiteris? Quam difficile animum a peccato dæ præsertim amato avellis? Ostenditur id in vita S. Basillii, de juvene, qui se demoni devoverat, qua ratione eum, cum conversioni insisteret, clamoribus et terroribus infestavit, apud Sur. tom. II. Quem-

admodum cæcus non impugnat nec ferit murem in potestatem sui redactum, sed cum eo ludit, ast fugientem insequitur et unguibus suis retrahit; sic diabolus non affligit peccatorem, quem quietum possidet, sed cum eo ludit; ast discessurum affligit. Experiuntur hoc quam plurimi, qui ab hæresi ad fidem, a sæculo ad religionem, a vitiis ad virtutem sese recipiunt. Ita spiritus ille immundus, Marcus. comminante sibi Christo exclamavit *et multum discerpit eum*, cum exeundum ei esset. « Ecce, (inquit Greg. I. XXXII. moral. c. XXXVI.) eum non discerpebat, cum tenebat: exiens discerpit, quia nimirum tunc pejus cogitationes mentis dilaniat, cum jam termino egressus sui divina virtute compulsus appropinquat. »

Sed tu contemne insultus daemoneis, et perge in proposito, persevera in orationibus et bonis operibus. Terrere potest daemon, tenere non potest, nisi velis.

VII. Conversis insultat per detractores et obtractores, quemadmodum paralytico illi fecerunt Judæi dicentes: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum tuum*, Joan. V. Sic persequebantur cæcum natum, quem sanarat Dominus, dum ejecerunt extra synagogam et contumeliis affecerunt, Joan. IX. sic fecerunt Pharisei Zacchæo, Matthæo et Magdalene post eorum conversionem. Figura hujus erat Laban persequens fugientem a se Jacob, post diurnum famulatum sibi exhibitum, Gen. XXXI. sed nihil poterat ei nocere, quia Deus id ei prohibuerat: sic demon non potest retrahere conversos, nisi ipsi velint, Deus enim non permittit.

VIII. Iisdem conversis denuo insidiatur et laqueos tendit, assumens secum alios septem nequiores se, ut ait Dominus, et si viderit eos negligentes et suæ salutis curam deponere, a bonis operibus cessare, delicias et vanitates sectari, etc. rursum obsidet castellum amissum, et facili negotio recipit. Unde Gagneus super prædicta evangelii verba ait: « Quamdiu solitaria, ut passer, peccata sua plangit anima, nulla illic ei (dæmoni scilicet) mora esse potest: si autem eam invenerit vacantem, bonisque destitutam operibus, ornatamque ac scopis mundatam, id est, deliciis deditam, et eo cum deterioribus se septem ingressus fuerit, pejus illa multo habebit quam antea. » Sic ille. Quinetiam domum virtutibus adornatam, adoritur rursus, uti Theodoram Alexandrinam, quæ in poenam commisi adulterii, se a marito subtraxit in monachorum cœtu virum induens, et Theodorum se vocans, penitentiam egit in multa vitæ austeritate. Cæterum diabolus ei primo adulterii crimen, quasi inexpiablem reprobravit: deinde, maritum ejus

I.

mentiens, blanditiis alliciebat, monens donum ut rediret. Cum nec sic proficeret ferocium belluarum formis terrere et expellere eam conatus est. Etiam sic repulsus majestatem induit, multo stipatus comitatu, et nolentem se adorare verberibus mulctavit. Denique, hinc auri massam, illinc canistrum variis dapibus refertum apparere fecit, quo eam vel in avaritiæ aut gulæ laqueum traheret: sed illa signo crucis omnia hæc machinamenta devicit, Ruffin. in vitis patrum.

Itaque enim post victoriam etiam semper in armis standum, perpetuæ excubiæ adhibendæ, etc.

CONCIO VI.

CAUSE QUÆ MUTUM FACIUNT CONFITENTEM.

I. Pudor. — II. Negligentia examinis. — III. Ignorantia propriæ infirmitatis. — IV. Amor delectationis. — V. Timor satisfactionis. — VI. Desperatio emendationis.

THEMA.

Erat Jesus eiciens dæmonium, et illud erat mutum.
Lucæ XI.

Multos hujusmodi mutos, quibus os et loquelam obstruit malus daemon, deprehendunt confessarii, hoc imprimis sacro tempore: omnes nimirum illos, qui in confessione scelera sua recitent. Quos bene meritoque comparaverim civibus Ephron, qui ut legimus, I. Macchab. V. cum Judas Macchabæus iturus in terram Judæ, petere ab iis transitum civitatis nemini nociturum, obstruxerunt portas lapidibus, et noluerunt aperire. Quare oppugnavit Judas cepitque civitatem, et postquam omnes peremisset mares, transivit civitatem super interfectos. Judas confessionem, Ephron vero pulverem significat. Quærit ergo confessio, instigante syndæresi, transire per os hominis, qui nil aliud nisi pulvis est: nec vult nocere illi, sed potius prodesse. Et quid faciunt incolæ civitatis? Quid agunt multi peccatores? Obstruunt portas urbis, os videlicet et loquelam, ne prodant sua peccata, juxta id Mich. VII. *Ponent manum suam super os, aures eorum surdæ erunt.* Et hoc instinctu et opera diaboli, qualem in hodierno evangelio vidimus. Sed væ illis, nisi aperiant; quia aperient aliquando inviti, quando coram toto mundo patefient eorum scelera, et cum propria confessione seipsum condemnabunt dicentes: *Ergo erravimus a via veritatis*, Sapient. V.

Sed qui sunt illi lapides, quibus os obstruitur? Audiamus.

53

I. Reperiuntur lapides, quos lux cœci et prodit obscuritas, uti chrysoprasus, apud Angelicum, lib. XVI. c. XXVII. qui de die quodammodo evanescit, de nocte solum lucet. Hujusmodi lapis pudor est obstruens plerumque confitentis os. Coram confessario prodit se hic pudor: coram aliis hominibus evanescit; quia peccare non pudet, peccatum confiteri pudet. S. Chrysostomus, homil. III. de pœnit. ait: « Pudorem et verecundiam dedit Deus peccato, confessioni fiduciam: invertit rem diabolus et peccato fiduciam præbet, confessioni pudorem et verecundiam. » Gabriel Inchino canonicus Lateranensis in scala cœli, conc. de confess. refert S. Cyrillum episcopum in hebdomada sancta inter plurimos pœnitentes, qui confitendi opportunitatem expectabant diabolum stantem vidisse, ex divina voluntate agnovisse, licet ficto pœnitentis habitu vestitum. Cui sanctus: *Quid agis, cruenta bestia, inter pœnitentes?* Respondit dæmon: *Pœnitentiam ago. Et quomodo, inquit Cyrillus, tu pœnitentiam agas, Dei et omnis boni hostis, necnon in malo pertinax?* Tum diabolus: *Reddo, ait, quod abstuli.* Et episcopus: *Quid abstulisti? Verecundiam, inquit, abstuli et verecundiam modo restituo, q. d. feci ut non erubescerent homines ad peccandum, nunc facio ut erubescant ad pœnitendum.* Ergo Augustinum audiamus: *Non te pudeat, ait, coram uno dicere, quod non te puduit forsitan coram multis et cum multis facere.* Socrates cum Athenis adolescentem quemdam, qui domum meretricis ad explendam libidinem suam ingressus fuerat, videret, se ibi forte transeunte exire noluisse, pudore scilicet ductum, ad januam domus accessit dicens: *O fili, non pudeat egredi te ex hoc loco, pudeat intrasse.* Porro qui seipsum confundere non vult coram uno sacerdote, confundetur aliquando coram toto orbe. Testatur id Oseas, capite XIII. dicens: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.* Ubi alludit ad lubricam puellam, quæ stupro concepit, ac ne infamia notetur, uterum stringit et conceptum tegit; sed quousque? Usque ad tempus partus. Tunc enim ignominia et dolores simul eam obruunt, omniumque sannis et ludibriis prostituunt. Idem accidet peccatori, qui peccatum suum celat medico et patri suo spiritali. Veniet enim tempus, cum in die iudicii ignominia et cruciatus gehennæ simul eum apprehendent, et quidem coram orbe toto, Deo, angelis et hominibus. Nonne Davidi, qui adulterium suum variis technis celare conatus erat, minatus fuit Deus: *Tu fecisti in occulto, ego autem faciam in conspectu omnis Israel, et in oculis solis hujus, II. Reg. XII.* Nonne libido senum illorum

qui dicebant: *Nemo nos videt, in lucem protracta et infami supplicio plexa est?* Daniel XIII. Verum nihil illud est ad infamiam et confusionem illam, quæ expectat reprobos in die agnitionis (ut vocatur Sap. III.) seu iudicii, in quo unusquisque non modo suam, sed aliorum etiam agnoscet conscientiam.

II. Inveniuntur lapides, qui continent intrase venenata animalia, veluti serpentem; cujusmodi saxum repertum esse tempore Martini V. pont. cum medium secaretur, tradit Fulgosus, lib. I. c. VI. item bufonem quale Augustoduni repertum scribit idem auctor. Talis est conscientia, quæ nisi per examen secetur et explicetur, sana et solida apparet: divisa vero et discussa, ostendit omnis generis reptilia venenata, serpentes et bufones. Sectio ergo necessaria est et scissio, juxta id Joelis II. *Scindite corda vestra.* Simile quid Ezech. legimus III. ubi ait Dominus ad prophetam: *Fili hominis fode parietem:* qui dum foderet apparuit ostium. Ingressus ergo propheta vidit reptilia et fœda animalia, necnon idola domus Israel depicta in pariete circumquaque. Tibi hoc dicitur, peccator: *Fode, inquam, parietem conscientie tuæ, qui deforis quidem elegans et dealbatus est, intus vero plenus idolis et insectis, mortiferis nimirum peccatis. Quid est parietem fodere, inquit in eum locum Sanct. Greg. II. p. pastor. c. X. nisi acutis inquisitionibus duritiam cordis aperire?* Cervus e cavernis extrahere serpentes spiritu narium scribitur a Plinio, l. XXVIII. c. IX. et l. VIII. cap. XXXII. quibus devoratis cum maximo inflammetur calore, currit ad fontem et extincta siti quodammodo renovatur. Hunc in modum et tu conscientie tuæ antro revoca scelera tua, et calore contritionis accensus ad fontem pœnitentie curre, ut abjecto vetere novum induas hominem. Quæso te, si audires domum tuam clanculum ingressos esse fures, num tu cubitum ires? Annon sedulo eos perquirereres? Et si unum alterumque deprehendisses, nonne reliquos etiam investigares? Quid enim, si vel unus remaneret, qui te suppellectile et vita spoliaret? Fures tui peccata tua sunt, quæ animam tuam expoliant omni merito, gratia et gloria. Hæc ego, sisapis, omnia sedulo pervestiga. Sapiens, Prov. VI. pigrum ad formicam mittit: *Vade ad formicam a, piger, inquit. Etenim formica omnia investigat et occultissima quæque deprehendit, teste Pier. I. VIII. hier. Percurre et tu animam tuam et rimare omnes ejus angulos: quod si peccata tua non statim tibi occurrunt, persiste inquirendo; ut enim cum a sole in obscurum locum ingressus es, principio nihil vides, verum si aliquandiu ibidem hæseris, paulatim videre incipies*

quæcumque ibi sunt, ita si perseveres rimari conscientiam, clarius videbis, quid in ea lateat.

III. Reperiri saxum in Scotia Coii provincia scribit Ortelius in Scotia, quod a proprietate naturæ surdum vocatur; id enim tale est, ut stans in uno ejus latere, sonitum, qui ex altero ejus latere fit, etiam si bombardæ sint, non audias. Hujusmodi est multorum peccatorum ignorantia et stupiditas, ut remorsus peccatorum suorum minime percipiant, suntque surdastrum in modo conscientie suæ, necnon cæci in dignoscendis suis defectibus et erratis. Cæcus ille natus, Jo. IX. non legitur petisse a Christo lumen ut reciperet, quia non agnoverat cæcitatibus suæ miseriam. Tales sunt stupidiores aliqui, qui nihil de conscientia sua dicere norunt, quia nihil in ea vident, omnia salva existimant: peccata etiam graviora spernunt, quasi nihil aut parum obsint. Hinc nulli in iis remorsus, quia surdæ aures. Talis aliquando evasit David perpetrato adulterio. Cum enim nuntiaret ei Bethsabee: *Concepi, obsurdit David, nec ad sonitum istum evigilavit ut pœniteret.* Ergo tonare incepit Deus per os prophetæ Nathan, et proponere ei parabolam de viro divite, qui cum plurimas haberet oves, rapuit cuidam pauperi e sinu oviculam suam. Quantum istud tonitru? Sed necdum auditum seu intellectum a Davide, nisi postquam ei expressis verbis dictum est: *Tu es ille vir, II. Reg. XII.* Hinc etiam adeo excæcatus fuit, ut, quo tegeteretur adulterium patratum, ægre non tulerit suorum militum cædem, quorum debuit providere salutem; nec Israelitici nominis dedecus, quod subierunt, dum in ipso conflictu fugerunt et Uriam deseruerunt. Ita nimirum libido consilium et mentem Davidi expectorarat, ut hæc omnia non curaret. Non caret culpa hæc surditas, hæc ignorantie cæcitas. Dicit S. Paulus, I. Tim. V. eum, qui suorum maxime domesticorum curam non habet infideli deteriorum esse. Quanto igitur deterior erit, qui domus conscientie suæ nullam prorsus curam habet, nec quid in ea agatur, attendit? Si quis paterfamilias pateretur e domo furari servos et ancillas, uxorem adulterari, liberos parentibus insultare, externos de culina sua edere et de cella bibere, nonne is periclitaretur de fama æque ac de bonis suis? Sane Putiphar ille Ægyptius, quia nesciebat nec curabat, quid esset aut ageretur in domo sua, inde adeo deceptus est ut uxorem impudicam domi retineret, castissimum vero et utilissimum sibi Josephum e domo ejiceret, Gen. XXXIX. Qui ergo in domo conscientie suæ adeo cæci et inertes sunt, ut nullam ei curam adhibeant, quid mirum si in confessione muti sint, et hostes suos capitales, peccata, domi suæ

alant? *Per agrum viri pigri transiit, inquit Sap. Prov. XXIV. et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticæ, etc.*

IV. E lapidum numero etiam magnes est, qui ferrum ad se trahit et retinet; et inventi sunt magnetini montes, qui naves ferro onustas ad se rapuerunt, neque dimiserunt, donec ferro exonerarentur. Magnes talis in proposito est amor delectationis, quæ ex peccato percipi solet. Hæc enim adeo tenaciter peccata quædam sæpe apprehendit, ut nequaquam ea dimittere velit. Hinc Jobi XX. dicitur: *Cum dulces fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua: parcat illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo.* Magnopere angebatur Jacob, cum intellexit postulatum a se Benjaminum ducendum in Ægyptum, filium minimum charissimum: *Non descendet, inquit, filius meus vobiscum, Gen. XLIII.* Sed prævaluit tandem postulatio Josephi, quia dixerat fratribus: *Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum, Genes. XLIV.* Multi ita diligunt peccatum aliquod mortiferum, ut exigenti confessario prodere nolint. Sed noverint isti verissime sibi a Deo dici: *Non videbitis faciem meam, nisi adduxeritis peccatum illud minimum (quod tale forsitan peccatori videtur) ad confessionem.* Constans enim theologorum sententia est, omnia mortifera in confessione explicanda esse. Porro quemadmodum Jacob dum dimisit Benjaminum, obtinuit Josephum suum omnium sibi charissimum filium; ita qui seipsum vicerit, et peccata omnia, etiam quibus addictissimus erat, sacerdoti revelarit obtinebit gaudium, salutem et gratiam. Contra vero qui tam stulte amat scelus aliquod, ut prodere in confessione nolit, prosequetur id aliquando plusquam Vatiniano odio, cum propterea se damnatum aspiciet in gehenna; quemadmodum Amnon cum ad insaniam pene deperisset sororem, postea a se violatam multo magis odio habuit, quam amarit prius, II. Reg. XIII.

V. Lapidis alii lateritii sunt fictiles et fragiles, qui levi jactu vel ietu rumpuntur. Et quid hinc nisi timorem satisfactionis indicant? Sunt enim aliqui tam fragiles et pavidi, ut propterea in confessione peccata graviora reticeant, quia timent sibi injiciantur, onus restituendi et odia deponendi imponantur, etc. Quibus dici debet, quod David, Psalm. XCIII. ait: *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Quem locum ibi Lyran. exponit de exploratoribus terræ sanctæ, qui terruerant populum Hebræum dicentes: Terra, quam lustravimus, deve-*